

III.
NEOVIDENSIS

Nro. 96. (Neovidensis 1808. Nro. 95.)

Oratio Politica.
De Bohemia.

Elysium-Meum. - Die Veneris 9. Dec. 1808. (Neov. 28 Nov. 1808)

Sententia.

Sunt hi pagi Bohemici

Adagium:

Si cuiquam aliquod eventum novum & peregrinum accidit, tum adagium ex Bohemia repetitur, diciturque: — *Sunt pagi Bohemici.*

Verum cur ex Bohemia? an pagi in hoc regno aliquid novi, & singularis continent? cur adagio immiscetur Bohemia? an pagi in ea non æque elegantes, non æque insignes ac uspiam alibi? profecto & firmitate architectonica, & quidquid ad œconomiam Architecturæ pertinet; multos aliarum nationum pagos præstant; ut ergo factum: quod Bohemia ad nomenclationem aut honorem devenit, ut germanico in adagio niteat? Cel, Adelung hæc rationem reddit: provenire ab Bohemicorum pagorum nominibus, quæ Germano rarâ & insolita accidunt. Et hæc etiam vera videtur,

Enunciatio Bohemicæ lingue Germano quidem dura & peregrina videtur; Novi certam matronam, quæ difficillimas voces psittacum docuit Bohemicæ, at Germanæ originis virum ad puram dialectum perducere nullaratione potuit. Idioma Bohemum, natioque, teste historia slavicæ est originis, populus hic amplissimus circa 518 ex Scythia; aut secundum alios ex Thracia profectus Græciam primum, post Poloniam, Bohemiam, Moraviam Russiam & post obitum Attilæ plura alia regna occupavit. Ipsum etymon vocis Slavæ, gloriam indicat; Laurentius Pribaro contendit: ab Thira septimo Japheti filio originem deduci. Quare non soli Franci, Gothi aliique boreales populi erant, qui occidente Roma, integra regna sui Juris fecere, sed & gloriosi Slavi.

At lingua? hæc quidem homini peregrino ignota molestaque accidit; verum est originalis, aut, ut dici solet, materna, quæ ex primigeneitate fortassis minus, quam germanica amisit.

Interim habet quoque eam gloriam: (Slavæ) eam omnium Europæarum linguarum in orbe hoc habitabili difficillimam esse; Bohemus a mari Adriatico usque mare Germanicum, a Caspio usque Balthicum progredi potest, & ubique reperiet sui labii homines. Poloni, Russi, Bulgari, Vindi, Illyri, Incolæ Europæ Turciæ, ipsi Asiæ minoris in Aegypto Copti a Bohemo intelliguntur. Ut proin mirum sit: adeo universalem linguam

germano tam peregrinam videri, germanicis proverbii insertam esse, hic applicari id ipsum potest, & cum admiratione dici: sunt pagi Bohemici.

Veterem Bohemiæ historiam eruditissimorum scrutatoribus relinquentes, quærimus: Ut recentiore ætate Bohemia coaluerit?

Politici & Statistæ, dum de Reformatione sermonem instituunt, fortassis vetustis argumentis & partium studio ducti, dumque eam ceu grande beneficium, lumenque considerant, Bohemiæ in hoc argumento majorem honorem deferant est necesse, quippe Martinus Huz & Hieronymus Pragensis longe prius ad concionem dixerunt, celebrisque Eques Joannes Trocznowa (Ziska) fortassis Germaniæ principibus exemplum reliquit, quod postea fideliter secuti sunt.

Id solum erat, Joannis tempore rem non satis maturam fuisse, serius res erat ætatis & politicæ, successumque habuit.

Multi Eruditi adfirmarunt: non posse haberi cogitationes harmonicas, nisi a perito Musicis, aut nisi quis musicam didicisset. In hac æstimatione argumenti Bohemam maxime harmonicam gentem esse oportet, etenim: ex multo, multo inquam tempore Musica crepundia carissima non modo nobilium, sed & viliorum erat Bohemorum. In ipsis pauperrimorum vicorum Eccl. elegantissimam & Instrumentalem & vocalem Musicam audire est. Senes ruricolæ juxta & juvenes, puellæ rusticæ matronæque instrumentis mu-

quibus canunt ad magnificentiam divini Cultus (Coele enarrant gloriam Dei) raroque reperitur Bohemus, scientia Musices non imbutus. Hi sunt mihi pagi Bohemici! — non mihi hic magnos illos viros in medium producendi animus, quibus Bohemia gloriatur, & quorum nominis in Musica claritas Europam pervolat universam.

Bohemia montibus circumfusa regio, in cujus valle fluvii haud navigabiles, Moldava, quæ Albi recipitur, minores tantum naves sustinet, at maximus thesaurus medium tenet; pretiosissima gemma agricultura & artificiosa Industria.

Ante adhuc 80 annos nullum vitrum tam frequens erat Bohemo. In Germania, Hispania, Italia, Gallia in ipsa Turcia Bohemicorum vitrorum erant depositoria. Hodiedum vitrum Bohemicum per orbem circumfertur, & uberem præbet Bohemici Commercii rationem. Tres milliones mercium præbet.

Industria Bohemorum nulli terrarum regioni cedit. Tælarum & lini Manufacturæ, atque 78 vitrarum 40 prope milliones mercium præbent, & quotidie adhuc capiunt incrementa. Mancipatus pridem jam abrogatus; atque Constitutio regiminis in dies benignior evadit, neque multiplicia bella impedivere, quin 3160 homines ad unum milliare \square & plures quam 3 milliones in Summa censeantur.

Vires militares ad 60000 æstimantur, hominum Statura elegans ad militiam. Et revera olim Bohemia bellorum erat theatrum-

In argumento Scientiarum plus utilitatis & soliditatis ratio habetur, & eruditorum Bohemorum a Pelzelio editorum opera tantum legenda sunt ad progressum Culturæ scientiarum, artium, industriæque Bohemorum perspicendam, & in hoc argumento nulli cedere.

Quid vero Agricultura? — lucrosissimus hic ramus regionis, quæ soli ubertate solum restringitur, quæsitissimus sustentationis scopus est. Res pecuaria ad eum tantopere necessaria multa regna superat. Diu urna lucta opus erat ad Curotam ovium augendam, usque eo deventum; ut Bohemia lanam hispanicam ex integro ferme compenset. In omnibus viis in Gallias, ante etiam Angliam cernuntur plaustra lana Bohemica onerata — memorabilis & lucrosus triumphus Bohemicæ industriæ! —

Verum non civilis modo Conditionis, sed & Magnates regni Manufacturas erexere; publica cura hi conatus promoventur, & si interior earum forma pervestigetur, innegabilis perspicitur similitudo inter Circulorum Capitaneos Bohemiæ, & Præfectos Galliæ; — hæc quidem minime gentium pagi mihi sunt Bohemici, at imitatione digna regiminis ratio *Non equidem invideo, miror magis* —

Tantum hodie de Bohemia, age! oculos in Galliam & Hispaniam convertamus, ubi bellum omnia commovet. Prima officiosa relatio sonat de 16. hujus ex Hispania perhibentibus Parisinis paginis.

Monitor hodie textit primum officiosum nuncium exercitus in Hispania ex Victoria de 9. Nov. seqv. argumenti: Situs exercitus Gallici die 25. Oct. Princeps hospitium erat Victorix, Mareschallus Dux de Conegliano (Moncey) cum lævo cornu stationem habuit juxta Arragonem & Iberum, princeps hospitium Rosallæ. Mareschallus ab Elchinge (Ney) Guardia. Dux ab Istria (Bessieres) Mirandæ, castrumque Pancorbam clausum tenebat, Gen. agminis Dux Merlin cum uno agmine edita Durango tenebat, ad hostem, qui altiora loca Montragon petiturus videbatur, in officio continendum. Postquam Mareschallus Dantiscanus cum agminibus Sebastiani & Leval adpulisset, regi visum est Agmen Merlinianum a statione avocare.

Hostis interea temeritate crescente pluresque stationes ut Lerinam, Vianam, aliasque occupante in læva Iberi ripa; Rex Mareschallo Duci de Conegliano jussa dedit, adversus eum progrediendi. Gen. Dux Watier Præfectus Equitatus, cohortesque Gen. Ducum Habert, Drun, & Razout stationes hostiles adgrediebantur. Hostis die 27. in omnibus stationibus rejectus, 1200 viri Lerinæ inclusi principio defendere se volebant, at agminis dux Granjean e vestigio ordines fecit ad adgressionem, eos cæcidit, & Colonelum, 2 Pro Tribunos, 40 officiales & illos 1200 milites de grege captivos fecit. Copiæ hæ ad Castra ad S. Rochum sita pertinebant.

Eodem tempore Mareschallus Dux de Elchinga Logrono versus profectus, Iberum trajecit, & 300 captivos fecit, hostem aliquot horis trans Iberum persecutus, pontemque ad Logrono restituit. Hujus eventi consecrarium erat, quod Dux hispanicus Pignatelli, qui Insurgentibus præfuit, ab iis lapidibus obrutus sit.

Copiæ proditoris la Romana, atque bello capti Hispani in Anglia, quos Angli in Hispanæ ora exposuere, tum agmen Gallæcianum in summa 30000 ex regione Bilbao Mareschallo Dantiscano minabatur, qui nobili accensus impatientia die 31. adversus eos progressus, eosque assultu quibusvis stationibus exturbavit. Copiæ fœderatorum eminebant, præprimis agmen Badense. Dux Dantiscanus hostem persecutus continuo die 1. Nov. usque Guenes, & urbem Bilbao ingressus est.

In hac urbe conspicua penus annonaria reperta, plures Angli capti. Jactura hostium caesorum et vulneratorum notabilis, captivorum exiguus numerus. Nostrum 15 occubuerunt, 100 circiter sauciati, quam honorificus etiam hic causus fuerit, tamen utinam locum non habuisset, agmen hispanicum in iis adjunctis versabatur, ut comprehendi potuerit.

Medio tempore adpulit agmen Mareschalli Victor, ex regione Victorisæ Ordonam expeditum; die 7 hostis suppetiis ex S. Andre amissis auctus, colles circa Guenes occupavit. Mareschallus Dantiscanus ei obvi-

am processit, mediumque ejus perfregit. 58 et 32 a legio eminebant, si haec in planitie locum habuissent, nec unus hostium evasisset, at montes circa S. Andream et Bilbao prope inaccessibiles sunt. Mareschallus Dantiscanus hostem persequabatur toto die intra fauces Valmasedae. In postremis his praeliis hostis occumbentes, saucios, captos que intra 3500 et 4000 deplorabat.

Mareschallus Dantiscanus singularem laudem tribuit Gen. agminis Duci Leval et Sebastiani, hollandico Duci Chassey, Tribuno Laceste, 27. levioris pedestris legionis Tribuno Baton 63. ped. lin. legioni, Tribuni denique Badens. et Nassov. quibus e vestigio a Sua Majestate praemia collata sunt. Cohortes nostrae secundum combinatos motus progrediuntur. Creditur princeps hospitium Victoria promovendum esse.

Vigore Caesarei de 27. Oct. Decreti Generali Directioni Pontium & viarum struendarum 9 Auditores ex Collegio Status adjungendi, Argentoratique sub nomine Magistratus Rhenani Centralis Commissio, constans Magistro libellorum binisque Status Auditoribus erigenda disponitur, ad quasvis intuitu securitatis utriusque Rhenanae orae, laeva quidem ab Hunninga usque limites Hollandiae, dextra vero Kehla Casselae, & occurrentes quaestione, disquittendas & decidendas.